

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Abondius Hosang

**Vegetationem Pro Licentia Summos In Medicina Honores Et Privilegia Doctoralia
Legitime Consequendi Solenni Eruditorum Examini Proponit : Die XI. Septembris
A. M DCC LXXIII**

Argentorati: Ex Officina Kürsneriana, [1773]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn882378740>

Druck Freier  Zugang



Kc.-3967

Hosang,

Cl. VIII
219.

4828



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rostdok/ppn882378740/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn882378740/phys_0001)

DFG

Roenig



Nc. 3967. Caps. Nc. 4.

VEGETATIONEM

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES

ET

PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CONSEQUENDI

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI PROPONIT

DIE XI. SEPTEMBRIS A. M DCC LXXIII.

A B O N D I U S H O S A N G.

Cutia - Rhætus.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI, EX OFFICINA KÜRSNERIANA,

Nr. 3967

LXIII.





§. I.

Optimo omnino consilio, omnia quæ tellus
alit corpora in *organica* & *non organica*
distinguere solemus; illa per recipro-
cam actionem fluidorum solidorumque,
ex quibus efformantur, in se invicem, experiuntur
omnes mutationes quas a natura subire sunt iussa; hæc
sunt reliqua ab istis diversa.

§. II.

Repetunt corpora organica rationem omnium quæ
experiuntur ab actione suarum partium in se invicem,
hæc actio autem sine motu fieri non potest, sed re-
ceptum, principium internum unde motus fluidorum
& solidorum in corporibus organicis pendet *Vitam* ap-

A

pellare, hinc corpora organica vivere dicimus, omnes qualitates illis proprias ab eorum vita derivamus & ea *Viventium* titulo a reliquis distinguimus.

§. III.

Cum Creator voluerit, ut innumera organicorum corporum genera existant, hinc videmus eorum solida & fluida innumeris modis esse formata, cum autem inde singulorum vita vel natura pendeat, ideo hanc perspecturi tenentur ad omnia attendere, quæ singulis sint fluida, quæ solida, & quibus privis qualitatibus quævis gaudeant, ut inde quod efformant corpus exstruatur, hac enim demum ratione nobis dabitur, ut eorum cognitionem physicam, medicam, œconomiam acquirere queamus.

§. IV.

Corpora organica quæ spontaneos motus suscipere possunt, evidenterque sentiendi facultate gaudent *Animalia* appellamus, illa in quibus non observamus, quod mutationes quas experiuntur sibi repræsentent & inde ad certos motus edendos determinentur *Vegetabilia* dicuntur; cum perceptionis & voluntatis principium ab *Anima* repeatant, hinc animalia anima gaudere, vegetabilia eadem carere afferunt, non enim hodie ulterius ad *vegetativam Animam* attendimus.

§. V.

Uti omnis solidi, sic etiam fibræ vegetabilis elemen-
tum est terra, cum autem hujus partes nisi intenso ca-
lore conferruminatæ sint, aut fluidi ope conglutinatæ,
in unum cohærere nequeant, prius autem circa plantas
obtinere non possit, hinc evidens est, terram in fibram
vegetabilem ope fluidi efformari quod *Gluten* dicitur,
omnemque plantæ partem unde gluten ablatum est,
in merum pulverem fatiscere. Cum terra sit solidita-
tis principium, hinc fibra vegetabilis quo plus terræ
habet, eo solidior, durior rigidiorque esse observatur,
pendent ergo innumeri soliditatis gradus qui in fibris
vegetabilis obtinent unice a diversa ratione glutinis
in eis contenti ad terram, distatque tenerima cellulo-
sa pomorum quæ diffluentem supra linguam pulpam
continet, a durissimo quod nucleos condit osse, unice
ratione terræ ad gluten. Fibras vegetabilium cum plus
minus flexiles observemus, nullaque earum absolute
rigida visa fit unquam, aqua autem cum terra in foli-
dum perfecte rigidum abeat, flecti nescium, hinc glu-
ten fibræ animalis non meram aquam esse fit evidens,
sed immixtum habere oleum, unde flexilitatem pen-
dere aliunde constat, cum autem oleum sine salis ac-
cessu aquæ immisceri non possit hinc fibræ vegeta-
bilis gluten, ex aqua, oleo & sale constare elu-
cescit, id quod quoque analysis chemica uberrime
evincit.

A 2

§. VI.

Ast fibra vegetabilis non modo solida est, & qualitatibus inde pendentibus, duritie, rigiditate, elasticitate &c. gaudet, sed habet quoque eam vim, ut a certis substantiis certa ratione tacta, sese contrahat, eisque remotis denuo sese restituat, hanc vim, *Vim Vitæ*, *Irritabilitatem* dicere solent, estque ea in partibus generationi inservientibus præcipue conspicua. Quæ circa hanc plantarum facultatem observata haec tenus fuere, collegit propriisque experimentis auxit Cl. JOH. FRID. GMELIN a); egregius vir, cum stimulos mechanicos maxime ad sua experimenta adhibuerit, hinc multis in fibris nullam observavit irritabilitatem, quæ certissime detegeretur si alii quoque stimuli tentarentur,

§. VII.

Fibra vegetabilis, animalis ad instar, quatenus sub nos tristis sensus cadit, longa est cum minima latitudine, sive ex laminis constat areolas intercipientibus; fibræ longitudinales in cortice & ligno maxime obtinent, tela cellulosa constituit parenchyma sive utriculos & inde efformatam medullam, hæc ipsa eadem plane ratione, quæ in animalibus obtinet, fibras longitudinales vincit, ordinat, in situ firmat, ipsa in

a) In *Diss. de Irritabilitate Vegetabilium*, sub Präsid. Excell. OESTINGER, *Tubing. 1768*, habita,

membranas efformata, varia receptaculorum genera constituit; laxa multum est, dum medullam sifit, pro variis aliis partibus varie stricta; ejus cellulæ libere inter se communicant, & cum ipsa per omnem plantam sit dispersa, hinc humor qui eam quocunque in loco subiit, per omnes plantæ recessus libere transit.

§. VIII.

Obtinere in plantis receptacula, quorum utrumque extremum foramine hiat & quæ fluida admittunt, emittunt, & ad propria loca ducunt, *Vasa* appellari solent, vix non communis auctorum consensus largitur, sed hæc vasa multum habent, quo ab illis, quæ in animalibus occurrunt, differunt, licet enim majora in minora fatiscere videamus, & minora in majores trunco coire, singula tamen nunquam videntur progrediundo angustari, semper potius per omnem longitudinem easdem diametros observare, non raro quoque evidenter angularia esse. Nec hæc vasa omnino cava sunt, observante jam CÆSALPINO & demonstrante microscopio, sed eorum cavum substantia cellulosa occupat, quam tempore contrahi, vasis lateralibus agglutinari, evanescere Cel. BOEHMER a) vidit, est hæc ipsa cellulosa, cava vasorum occupans, illa quæ magni nominis autoribus imposuit, ut se valvulas in vasis plantarum observasse putaverint.

a) Diff. de *Vegetabilium celluloso textu*, Wittembergæ 1753.

§. IX.

Triplex hactenus vasorum genus observarunt autores : *Lymphatica* nimirum : *succos* plante proprios vehentia, & talia, quæ aëre scatent, atque *tracheas* dixerunt. *Vasa lymphatica* humorem ducunt, qui quoad maximam ejus partem ab aqua efformatur, cui autem alia quoque principia inesse docent fœces, quas dum evaporat dimittit, vires medicatæ in lympha ex viti, betula &c. exfudante observatæ, saccharum quod ex varia aceris specie paratur, vinigenus quod lympha ex ulmis stillans Indis largitur &c. *Vasa* quæ *succos* plantæ proprios vehunt, a prioribus non nisi ratione liquoris quem includunt differre videntur, quodque istis majores diametros habeant, ampliora in cortice, angustiora in ligno ; maximus eorum numerus corticem inter lignumque obtinet. *Tracheas* appellarunt, propria *vasa*, ductum Spiræ sequentia, reputantur ligno propria esse aërique vehendo dicata; sed videntur autores qui MALIPIGHII fide hæc *vasa* describunt, analogiæ inter corpus animale & vegetabile nimis tribuisse, qua hypothesi seducti spiracula aëris, quibus insecta gaudent, etiam ad plantas applicare tentarunt, constat enim GREWII, & maxime REICHEL a) observatis tracheas vegetabilis evidenter humores vehere & multa omnino probabilitate se commendat B. LUDWIG conjectura, *vasa* spiralia esse priora, quorum substantia

a) Diss. Lipsiæ, 1758.

cellulosa qua facta erant parietibus accrevit & quæ inter duriores ligni fibras intercepta, in modum Spiræ quasi torta apparent.

§. X.

Vasa lymphatica aquam partibus nutritiis fœtam per omne vegetabile diffundunt, eandem inertem redditam, transpirando aëri commiscent; cum autem variae plantarum partes etiam varium exigant nutrimentum, hinc videmus ipsa vasa lymphatica varia ratione distribui & ita per idem artificium, quod in animalibus facit ut ex uno sanguine omnibus partibus prospiciatur, etiam in plantis obtineri, ut quælibet pars recipiat lympham illis præcipue ditatam principiis, quæ ipsi nutriendæ paria sunt; faciunt ad id ipsum evidenter retia varia quæ obtinent, quarum ope quoque efficitur, ut si quæ vascula alicujus trunci obstructa fuerint, humor nutritius ex aliis truncis affluat, sicque cum nutritione vita sustentetur, id quod per HALES & Ill. DUHAMEL experimenta evidenter evincitur. *Vasa propria* humores vehunt per plantæ fabricam elaboratos, hæc elaboratio, illum præcise in modum fit, quo apud animalia videmus diversos quibus scatent humores fecerni, conferunt omnino suam hic symbolam retia de quibus mox diximus, nec non glandulæ, quarum quædam ex glomerulis vasorum determinata figura præditis efformari, alias in veros folliculos excavari videmus.

§. XI.

Tanta cum inter œconomiam animalem & vegetabilem obseruetur convenientia, non pauci autores reputarunt in vegetabilibus etiam circulationem humorum obtainere, qua ex radice in omnes partes plantæ disperguntur & inde iterum ad radicem descendunt, cum autem nullo sive experimento sive ratiocinio ostendi possit, inesse radici validam eam vim qua cor animalium præditum est & qua resistentias omnes vincere potest, creberrime etiam circa ramos inverso situ plantatos æque bene prosperantes ac illi, qui ratione naturali terræ innascuntur, repetita experimenta evincant, nequaquam propria plantis esse vasa advehentia vel revehentia, hinc eum quem in animalibus miramur circulum in animalibus quoque admittere, licebit nequaquam.

§. XII.

Causæ motus quo humores per vasa vegetabilium feruntur variæ omnino sunt. I°. Suctio sive attractio, qua fluida in substantias spongiosas recepta ad certam altitudinem elevantur, huic magnas esse partes eo magis est probabile, cum hæc vasa substantiam spongiosam, teneram valde & hinc humores altius elevantem includant; cum autem per hanc vim fluida ad certam modo altitudinem possint attolli, ideo ubi humor altius elevandus est, plura vasa videntur sibi ipſi

ipſi eſſe imposta & ita fieri, ut ille eo uſque evectus,
quo ex natura ſubſtantia ſpongiosæ primi vafis evehi
potest, mox offendat ſubſtantiam ſpongiosam ſecundi,
per quam quoque propulſus, illam tertii ſubit ejus at-
tractionem experturus, hac ratione fluidum ab ultima
radice ad ſummum verticem uſque procerimæ arboris
per plures ſibi impositorum vaforum ſeries elevari poſſe
eluceſcit; quod autem fuſtio omnino in plantis obtineat,
confirmavit HALEſ & recentiorum pulcerrima tentata
evincunt, qua plantas variis liquoribus immittendo,
ut hi eaſdem ſubierint, effecerunt. Sed nec II°. Preſſio
athmospheræ hic erit negligenda, quæ fuſtionis effectum
in promovendis humoribus non potest non evidenter
juvare, hinc pro vario aëris elatere, varia ratione fe-
habere vegetationem obſervamus, quo magis premen-
tur vafa, eo magis & eo celerius in eis movebuntur
humores, quo minor erit athmospheræ preſſio, eo ma-
gis vaforum parietes eorum impulſui cedent, eo mino-
res ipſi progreſſuſ facient; nec veri ſpecie caret con-
jectura quod cum in diuersas plantæ partes, varia
firmitate gaudentes, diuersuſ quoque ſit compressionis,
quæ ab aëre fit, effectuſ, inde quoque elaboratio ſucci
variet. III°. Caloris præterea & frigoris notabiles quo-
que eſſe ad motum humorum vires & quotidiana docet
experiencia & HALEſ obſervationes, vidit enim hic evi-
denter, quoties ſolis radii nubibus intercipiuntur, to-
ties humores descendere, ascendere autem denuo,
quam primum radii libere plantam iuſtrare poſſunt;
id idem, inde quoque liquet, quod calor accedens fu-

B

ctioni dum humores inde dilatantur nova ascensus cau-
sa evadat & hinc motum humorum augeat, qui ipsis
frigore constrictis non potest non retardari. IV°. Huc
quoque varias materias per aërem dispersas facere, ex-
perimenta circa lucem ad conservandum vegetabilium
vigorem necessariam omnino, tentata circa materiam
magneticam & electricam vegetationem multum acce-
lerantes evincunt uberrime; harum materiarum natu-
ram cum nos omnino latere sincerissime fateamur,
hinc facile veniam obtenturos speramus, quod, qua-
ratione in plantas agant, silentio prætereamus. V°. Ir-
ritabilitatem quoque ad causas motus referendam esse
multa quidem sunt quæ suadent, sed non audemus de
phænomeno circa quod vix aliquid, nisi quod existat
innotuit vel conjecturas modo proponere. VI°. Aërem
vasis spiralibus inclusum, qui calore rarefactus, frigo-
re contractus, vicina vasa mox premit & ita in illis con-
tentos humores urget, sive eis ut se distendi patiantur
permittit & hinc ut humores subfideant concedit,
non audemus causis, quæ liquores per vasa movent,
adscribere, cum licet a magnis viris aërem vehere cre-
dantur tamen alii & quidem cum multa veri specie ipsum
negent; humores etiam in cortice moveantur, quam
tamen his vasis carere omnes afferunt; hæc vasa de-
mum in adultioribus plantis ex aliis, quæ humores ve-
hebant per ipsum incrementum surrexisse fuerint obser-
vata; ipsis demum parietes duriores sint, quam ut
a levi quam humores a calore atmospheræ expe-
riuntur dilatatione se distendi patiantur; causæ de-

¶. II.

nique haec tenus recensitæ sufficiunt motui humorum explicando, ita ut non opus habeamus ad eum illustrandum proprium follium genus accersere.

§. XIII.

Per vires haec tenus dictas, planta alimentum accipit, crescit, suas partes evolvit, elaborat succos, quos ad proprios æque ac communes usus a Natura præparare jubetur. Videmus nimis variæ magnitudinis vasa obtineri, hæc in minima usque resolvi, hos varios ordinates varia directione ferri, varia retia sive plexus efformare mox arctius colligi & hinc magis angustari, mox laxiora per plantas dispergi, imo in propria corpuscula colligi, quæ *Glandulas* dicunt & circa quæ præcipue Clarissimus GUETTARD meruit; fit hinc eadem, quæ apud animantia obtinet, ratione, ut communis humor pro varia diametro vasorum, quæ subit & varia eorundem flexione variam quæ vehit, proportionem consequatur, varios succos minimis vasculis permittat, aut in utriculos exhalet, qui sive in eis subsistit ut oleorum odoratorum, resinarum, melilis &c. exemplo videmus, sive ab aliis vasis inde resorbetur; succi in utriculos effusi, mora a partibus fluidioribus privantur, motu intestino mutantur, alias humores accipiunt & ita diversissimas formas induunt; elucefecit itaque quomodo per fabricam vegetabilem diversissimæ substancialē elaborari possint, circa quas imitandas ars in cassum laborat, quo Camphora, Mel,

B 2

Cera, Oleum unguinosum & odoratum, mucilago, &c. pertinent.

§. XIV.

Humor a nutritione reliquus, varia præterea heterogenea quæ sub elaboratione succorum plantæ priorum à lympha nutritia secedunt, auferuntur de vegetabili tam per proprios ductus excretorios quo pilos, tomenta, villos &c. pertinere ill. LINNÆUS & GUETTARD evicere, quam per transpirationem; ejus aliquam portionem ad radicem descendere novis principiis ditandam & denuo nutriendæ plantæ ergo per illam distribuendam communis est sententia, quam inde præcipue probare contendunt; 1.) quod arbor, quando cum altera in unum truncum coaluit, plagaque horizontali à portione inferiore, radicibus continua separata est, aut etiam tota ex terra extracta, vegetare continuet; 2.) una plantæ radice aquæ immersa, reliquis libero aëri permisssis, tota tamen planta vigere & crescere continuet; 3.) dum plaga plantæ infertur, vulneris labium superius evidenter humorem plorat; 4.) tuber quod surgit, quando vegetabile filo constringitur, in parte vinculo superiore evidenter tumere observetur; cum autem hæc argumenta inde facile explicari possint, quod in priore casu nutrimentum ex integra arbore ad alteram lateraliter descendat, in secundo, ex radice sibi commissa in plantam ascendens per omnia, hinc etiam

per lateralia vasa dispergatur, in ultimis tela cellulosa dissecta, in modum omnium substantiarum spongearum, quæ humore turgidæ, illum ubicunque vulnus acceperint dimittunt, liquorem emittant, qui in tertio casu effluit, in quarto ad formandum tuber facit, hinc neutquam adhuc regressum succi ad radicem evictum esse reputamus, magisque nobis videtur veritati consentaneum, lympham à nutritione reliquam transpiratione a plantis auferri.

§. XV.

Transpirare autem plantam, id est, lympham sub forma vaporis inde secedere, multa sunt quæ evin-
cunt 1.) MARIOTTE ramum à trunco rescidit, extre-
mitatem quæ cum trunco cohæserat colla resinosa ob-
duxit, ne quid humoris vasa dissecta potuerit subire,
& aliquot diebus elapsis vidit, ramum resectum non
levem ponderis jacturam passum esse, folia flaccida
evasisse, evidentem humoris jacturam obtinuisse 2.)
HALES, Cl. GUETTARD, & Ill. DUHAMEL cucurbitæ
commisere integras plantas & collegere in guttas
vaporem, qui continuo ex illis exhalabat. 3.) HALES
helianthum annum, cuius foliorum superficies 5616
pollices quadratos æquavit, in olla vegetantem, quo-
tidie aqua irrigans & bilance examinans, reperit me-
diam quantitatem transpirationis, quæ duodecim hora-
rum intervallo obtinet, libram unam cum quatuor
unciis æquasse, esse hujus plantæ transpirationem ad

B 3

eam hominis, uti 10:3. idest triplo majorem; brassica capitata cujus superficies 2736. pollicibus quadratis par erat, ad novendecim unicas usque cum dimidia transpiravit; Vitis 1820. pollicum, quinque uncias cum dimidia; pomum malum 1589. pollicum quadratorum superficie, uncias novem; citrus 2557. digitorum uncias sex. 4.) fragrantia, qua plures plantæ nares nostras feriunt, etiam evidenter vaporem ex eis secedere evincit.

§. XVI.

Non modo transpirationem in plantis obtinere evictum est, sed sagax quoque physicorum industria nobis varias ad quas sese accommodat leges patefecit. HALESI & egregii GUETTARD maxime experimentis evictum est, transpirantem humorem vix non omnem ab aqua efformari, & respondere ejus quantitatem vigori plantæ & superficie foliorum; solem, ubi plantam illustrat transpirationem multum augere, at non solo calore id fieri quem subministrat, eandem copiosiorem mensē Junio, copiosiorem Julio, copiosissimam Augusto esse, ejus porro modum pro varia planta varium obtinere; vidit sane Cel. GUETTARD cornū, viginti quatuor horarum intervallo duplum sui ponderis exhalatione perdere; patuit insuper, vegetabilia noctu minus quam interdiu transpirare, frigore quoque ac humiditate aëris hanc excretionem evidenter imminui; plantas succulentas parum exhalare; minus etiam

transpirare arbores quarum folia perennant, præ illis quæ ista hyeme deponunt; præ reliquis denique plantæ partibus in foliis maxime hanc excretionem contingere.

Humor qui sub transpiratione secedit, ut plurimum solet, sub forma tenerrimi & omnes sensus fuggientis vaporis secedere, sed sicut in animalibus non raro videmus perspirationem in guttas colligi, & crassiores, quam quos vulgo vehit humores recipere ex glandulis cutaneis expressos, ita etiam non infrequenter observamus materiem transpirantem ex vegetabilibus sub forma liquoris secedere, sive eis varia sub specie adhærere, populi falicesque frequenter æstate evidentem humorem plorant, qui ex superioribus in inferiora folia decidens, non raro itineratoribus pluviae specie imponit; dictamnum, varias silenes, hyperici, cysti &c. species proprio viscore obduci nemo ignorat, aceris & tiliæ quarundam specierum folia humorem dulcem & tenacem emittere RENEAUME vidit; coniferæ arbores non raro, inter nos quoque, propriam emittunt substantiam, quæ in grumos cogitur.

§. XVII.

Magnam quidem alimenti portionem vegetabilia, ope radicis ex terra aut qualicunque substantia cui immissa sunt, hauriunt, sed eadem quoque ex aëre

partes recipere multa sunt, quæ probant. Ill. DUCHAMEL ramorum à trunko refectorum folia flaccida pristino vigori reddidit, illos atmosperæ humidæ committendo; MARIOTTE & Eximus BONNET folia unius rami aquæ immersa, per aliquot dies etiam alterum ramum vegetum mansisse observarunt; HALES & MILLER sunt experti, plantas in aëre humido detentas pondere crescere & quis ignorat, creberrime obtinere proceras arbores, quarum radices media inter saxa vel in siccissimo fabulo hærent, unde sane nullum vel certe paucissimum alimentum recipere potuerunt maxima sanitate frui.

§. XVIII.

Simpliciora plantæ solida, (§. 5.) efformant varias partes compositas ex quibus ipsa exstructur, earum quædam universales sive communes sunt, quædam propriæ, ex illis varia ratione ordinatis surgentes; illæ semper occurunt, hæ licet in quibusdam deficere videantur, tamen vix non semper earum aliquod analogum occurrat; quædam nutriendæ & conservandæ plantæ sunt dicatae; quædam ut gentem propagari possint faciunt; ad illas radix, caulis, folia pertinent, hæ florem cum omnibus quas includit partibus respiciunt; communes sive universales sunt epidermis, cortex, lignum & medulla.

§. XIX.

*Epidermis extima communium membranarum est,
tenuis*

tenuis & sicca ex fibris varie intertextis efformata ;
 nullos in ipsa poros microscopium detegit , quo-
 rum absentia inde quoque elucefecit , quod in vacuum
 collocata , multum infletur , nec aërem transmittat ;
 si eandem accuratius examinamus , videmus quod ex
 variis lamellis sibi invicem impositis efformetur & ejus
 superficies , quo magis cortici contigua est , eo tene-
 rior , viridior magisque succulenta sit ; lubentissime
 licet largiamur eandem jam in primo stamine obtinere ,
 valde tamen probabile esse videtur , iidem à parenchy-
 mate stricto , calore , aëre aut aliis causis exsiccato ,
 novas laminas accedere ; ejus superficies intima viri-
 dis , succulenta , herbacea est & microscopio lustrata
 evidenter cellulosa , ita ut ab Ill. DUHAMEL tanquam
 proprium involucrum sub titulo *Enveloppe Cellulaire*
 describatur . Tota externa epidermidis superficies
 orificiis vasorum ex cortice eo pertingentium obsessa
 est , quæ sub microscopio tamquam totidem lucida
 puncta apparent ; eadem præterea multum se patitur
 dilatari uti fructuum caulumque exemplo videmus ,
 dum autem à partibus quas tegit distenditur , extimæ
 lamellæ urgentur ut secedant , fitque id sub squamma-
 rum tenerrimarum siccumque forma . *Involucri cellulosi*
 DUHAMEL superficies epidermidi proxima , pressa , con-
 tra actionem potentiarum non satis defensa ab atte-
 nuata epidermide , in lamellas quoque cogitur , sup-
 let illas quas epidermis deposuerat & ita efficitur , ut
 licet continue increvens vegetabile continuo epider-
 midem distendat , ista tamen suam integritatem con-

C

servet, cum autem epidermidis dilatabilitas par incre-
 mento plantæ non est, rimas agit, ut fructuum exemplo
 videmus, quos cœlum pluviosum ultra modum excre-
 cere facit, nec non arborum quarum rigidior cuticula
 evidenter fissuras agit, imo in quibusdam, singulis annis
 in magnas lacinias efformatur, ut in Platanis, Spiræa
 opuli folio, Viti, Ribeliis &c. videmus, interdum quoque
 urgenti parenchymati cedit, & se ab eodem penetrari pa-
 titur, microscopio non modo teste sed etiam humore inde
 exsudante, id quod Populi Aceres, Fraxini, Pinus &c.
 loquuntur: hæc exempla de propriis plantis, propria
 ratione se habentem epidermidem sistentibus, quibus
 etiam ejusdem pro vario vegetabili, varius color ac-
 cedit, evincunt, epidermidis texturam pro varia quam
 investit planta evidenter differre. Facere epidermi-
 dem ut partes subjectæ ab exsiccatione defendantur
 omnia loquuntur, hinc vidit III. DUHAMEL hac mem-
 brana sublata, partem sub ea collocatam exfoliari,
 id est portionem suæ superficie sub forma squamma-
 rum deponere, usque dum nova epidermide tecta fue-
 rit; hæc, num ex reliqua extensa & in deperditæ lo-
 cum succedente regeneretur, num restituatur à paren-
 chymatis summa superficie per externas potentias
 constricta & exsiccata non decidere audemus. Ad te-
 neritatem cuticulæ non attenderunt, qui eandem par-
 tibus continendis inservire afferuere, vidit quoque III.
 DUHAMEL latus plantæ unde epidermis fuit ablata
 nequaquam tumorem accipere, aut ultra reliqua emi-
 nere.

§. XX.

Epidermidi *Cortex* subjacet; constat is ex pluribus lamellis sibi invicem incumbentibus quarum ut plurimum numerus ejus ætati respondet, & quæ pro varia quam investiunt parte. variam solent habere consistentiam; interiores quæ arborum lignum tegunt, *Libri* nomine veniunt, evidenter ope parenchymatis cum subjecto ligno nexæ. Componitur cortex ex duplice vasorum genere (§. IX.) tracheas enim in eodem nemo adhuc vedit; hæc vasa, evidenter è pluribus minoribus composita, directionem longitudinalem sequuntur, in minores variæ diametri ramos secedunt, multa ratione inter se invicem concrescentes, multisque uniti anastomosibus; surgunt sic plexus multi quorum intervalla parenchyma replet; minimum quoque horum vasorum debiliore lente spectatum, simplex quidem esse videtur, sed si specillo magis convexo illustratur evidenter ex aliis adhuc compositum apparet. Docuit præterea observatio, vasa corticis eo esse tenuiora, eo minora habere intervalla plexus inde formatos, eo magis strictum esse parenchyma, quo lamellæ sunt magis internæ, id demum adhuc notandum esse ducimus, quod vasa corticis præ illis quæ in ligno obtinent & majora sint & copiosiora.

§. XXI.

Sub cortice *Lignum* reperitur, majore soliditate ab illo distinguendum, ipsum quoque ex plurimis la-

mellis constans, exteriores minus duræ sunt quam interiores quæ stratum formant quod *Alburnum*, *Aubier*, *Splint* dicere solent, lamellæ ligni ex iisdem partibus similaribus efformantur quæ in cortice obtinent, his Tracheas accedere autores contendunt; vasa & parenchyma sic se habent, uti in cortice, hac falterni cum differentia, quod & duriora sint & flexioni magis resistant. Vulgatissimæ præterea experientiæ res est, lignum ætate demum indurescere, sub forma herbacea primum apparere & ejus lamellas eo esse duriores, quo a cortice magis distant. Induratio alburni, cum evidenter a vegetatione pendeat, hæc autem in varia planta varia fit, hinc dantur vegetabilia quæ nunquam in perfectum lignum abeunt, existuntque arbores in quibus vix datur alburnum a ligno distinguere; constat præterea per Ill. DUHAMEL experimenta in eadem arbore, alburnum unius lateris, ab illo alterius ratione numeri lamellarum multum differre, & idem eo parcus obtinere, quo altiorem in trunco locum occupat, nec non ibi præcise semper lignum densius esse, ubi majori impetu feruntur humores, cum autem hic impetus ne quaquam a calore atmospheræ pendeat, hinc evidens fit, minus bene diversam crassitatem, qua circuli lignosi gaudent, pro indice plagæ quam arboris latus respexit assumi, a non paucis qui circulorum segmentum angustius septentrionem respexisse, latius autem meridiem, contendunt.

§. XXII.

Tela cellulosa quæ ligno includitur & plantæ cen-

trum occupat *Medulla* solet dici, maiores hic & laxiores quam in omni reliquo parenchymate obtinent cellulæ, & videtur hanc ipsam medullam omne reliquum ex se dimisisse parenchyma, evidenter sane conspi- ciuntur productiones inde per corticem lignumque deductæ, a GREW *Insertiones* dictæ. Medulla pro varia plantæ ratione cuius axi inhæret, evidentes solet differentias exhibere; quo junior est pars vegetabilis, eo majore quantitate medullæ abundare solet, eo copiose succo turgere, quo magis in arboribus lignum induratur, eo magis medullam contrahi, eo sicciorem evadere experientia docuit, imo observamus eandem, quæ in juniore vegetabili alba vel viridis fuit, progressu temporis pro vario in quo hæret vegetabili varium colorem induere; id præterea quoque notandum, quod eadem ut & areolæ quas continet ad reliquas partes, pro diversa planta, diversam quoque proportionem servent: vasa quoque lymphatica (§. IX.) in medulla obtinere, autorum observationes testantur. Non multum a vero aberrabimus, si medullam parenchyma esse assumimus, quod tenellæ plantæ primos succos recipit & cuius portiones partim crescentium vasorum ca- va replet (§. VIII.), partim ipsis interponitur (§. VII.) reliquum ab his ipsis solidioribus redditis in axin urgetur, comprimitur & nullis novis succis perfusum, dum alimentum a reliquis plantæ partibus consumitur, exsiccatur; vasa lymphatica saltē per induratam me- dullam dispersa solida evafisse, non modo inde patet, quod eorum parietes undique pressi non possint non

concrescere, sed id ipsum quoque eorum alienatus color evidenter evincit; nec quis inde quod in arborum coniferarum medulla non raro resina occurra, eam propriis irrigari vasis suspicatur, quippe quæ potius ex ligno eo deposita fuisse, quam ex vasis medullæ propriis exstillaſſe probabile est. Medullam annosioribus truncis inclusam ad vegetationem vix aliquid conferre, evincunt plura arborum exempla, quæ trunko toto cavo, cuius omnis medulla fuit deſtructa, optime tamen vegetare obſervantur.

§. XXIII.

Imo plura funt, quæ videntur evincere, ipsum lignum efformari a lamellis corticis quarum vasa æque ac parenchyma per ipsam vegetationem fuerunt concreta, omni cavo privata, indurata, ab ulteriore vegetatione impedita, ope humoris ex libro & alburno exhalantis contra plenariam exſiccationem defensa: pulcherrimis fane experimentis evicit Ill. DUHAMEL portionem arboris in lignum versam, nec longitudine, nec crassitie crescere, omnem arborum & proceritatem & crassitatem pendere, a novis corticis lamellis pristinis adjectis impositisque, teneriores corticis lamellas in librum, hunc in alburnum mutari, quod tandem lignum evadit. Cortex itaque est præcipua pars, in qua vegetatio obtinet, is ipse per omnem anni partem, qua illa evidentius viget, multis humoribus turget, ita ut ſemper vapor adſit, qui infimam inter

corticis & summam alburni superficiem intercedens ne concrecant impedit, dum autem per anni tempus autumno nempe & hyeme, imminuntur variæ causæ quæ motum humorum urgent (§. XII.) tunc deficiente hoc vapore ultimæ laminæ libri, cum extimis alburni concrecant, ipse vapor inter librum & alburnum existens ad concretionem etiam ob imminutas secretiones magis dispositus spissior fit, non raro sub humoris viscidi specie sese oculis nostris listit & *Cambium* GREW constituit, eodem plane modo, quo in corpore animali vaporem viscera alluentem in præternaturales cellulas efformari videmus; eadem tempestate ultimæ alburni lamellæ, quæ per omnem æstamat a turgente cortice ad resistens multum lignum pressæ fuerunt, in lignum abeunt; ob eandem rationem ultimæ corticis lamellæ in librum, & illæ libri in alburnum mutantur, hinc extrunci aut rami dissecti circulorum numero ad numerum æstatum qua vegetarunt, solemus concludere.

§. XXIV.

Pars plantæ quæ terræ inhæret, solet *Radix* dici, hæc semper exiguis filamentis efformatur, nutrimentum immediate fugentibus ex medio quod illa ambit; sunt hæc filamenta propagines substantia sive plus minus cylindroideæ, sive proprius ad figuram rotundam accendentis & hæc sive undiquaque radiculos emittit, sive non nisi ex basi, priores fibrosæ, secundæ *Tubero-*

ſæ, tertiae *Bulbosæ*, dicuntur. Efformatur radix ex epidermide & cortice, illis in caule obtinentibus crassioribus, parenchyma in radicis cortice laxius eſſe ſolet, quam in illo qui reliquas partes obtegit, hinc radix ut plurimum præ reliquis succulentior obſervatur; in corpore lignoſo illud valorum genus, quod *Tra- cheas* appellant & copioſum eſſe & majoribus diame- tris inſtruclum viderunt autores; medulla, radicis axin occupat, moxque majorem, mox minorem ad reliquas partes rationem habet. Minimas radicis fi- brillas quæ præcipuum organum ſunt, quod nutrimentum haurit, continuo perire, novasque ſemper in ea- rum locum ſuccedere, non improbabilis eſt illi. DU- HAMEL conjectura & ex earum magna teneritate, quædiu humiditati frictionique reſistere nequit, facile per- ſpicitur; EJUSDEM exactissimi Observatoris experimen- tis patet, radicem dum longitudine crenat, non totum ejus corpus extendi, ſed ultimum modo ejus extre- mum elongari, idque eo magis, quo medium cui innidulatur laxius eſt; patet hinc, cur radix cujus extre- mum reſecatur aut ad obicem qualemcumque, quem vincere nequit allidit, magnitudine non crenat, ſed in plures ramos ſcedat. Radix itaque cum con- tinuo ſive in longitudinem extendatur, ſive novos ramos emittat, hinc continuo novam terræ ſive qua- liscunque medii cui inhospitatur adit portionem, ex qua, priore exhausta, alimentum ſibi comparare que- at, & ita efficitur ut planta licet loco ſe moveare non poſſit, ſemper tamen ad novam terram unde nutri-
men-

mentum hauriat possit pervenire & inde sibi prospicere. Sed non modo fibrillæ alimentum hauriunt, verum etiam corpus radicis ad ejus præparationem facit evidenter, hinc diversa earum genera prostant, quorum quodlibet proprio plantarum prospicit generi, hinc in non paucis radicibus proprium obtinere succum observamus, ab illo quem e terra hausit diversissimum, de elaboratione peracta nos ergo certiores reddentem & cum præterea possideant illa organa, quæ in reliquis partibus ad coquendum succum facere nemo ignorat, hinc ab iisdem causis etiam eundem effectum surrecturum facile patet. At Radix non modo hauriendo præparandoque alimento est dicata, ea sustentaculi quoque vice fungitur, quo planta firmari & sede sua retineri queat & contra impulsus potentiarum externarum defendi.

§. XXV.

Pars plantæ, quæ ex radice sursum & quidem semper normaliter, nisi aliquis obexoccurrat protruditur, *Caulis* vel *Caudex* appellatur, est ei varia soliditas, figura, directio, unde varie distingui, varias quoque denominationes recipere solet, quæ etiam præ reliquis plantarum partibus quas sustentat differunt. *Truncus*, *Stipes*, *Culmus*, *Scapus* &c. efformatur ex partibus communibus §. XVIII. dictis; ejus perennitas & soliditas pendet ab indole vasorum sive citius, sive tardius obliterandorum, novam semper materiam subministran-

D

tium, unde in locum induratarum parenchymatis lamellarum novæ succedere queant, nova vasa evolvi; in caule annuo ea videtur ratio obtinere, ut unius æstatis vegetatio vasa exhauriat, partim obliteret, partim tanta rigiditate afficiat, ut alimento recipiendo, præparando, distribuendo evadant imparia, parenchyma nutrimento orbum, vitale esse desinat; in arboribus quarum quædam per secula perennant quotannis quidem aliquid parenchymatis induratur, quædam vasa rigescunt, obliterantur, impervia fiunt, sed semper præsto sunt nova, ex majoribus evolvenda, semper præsto est succus nutritius novas parenchymatis lamellas in locum exsiccatarum subministrans. Cau- lium plurimi solent in ramos secedere, qui unice magnitudine ab ipso differunt; dum autem caulis ramum edit, videmus medullam reliqua involucra urgere & ita tumorem surgere, quem *Nodum* appellant; in annis plantis brevi mora adolescunt rami, in perennantibus autem, ob lentiores quæ in illis obtinet vegetationem, tuber modo facit, integumenta impellens, parenchyma quod variis squammis quæ totidem lamellæ sunt a libro secedentes, involvitur & contra hyemis frigora reliquasque injurias defenditur, quas non firmatum ferre non posset, tale tuber *Gemma* dicitur, proximo vere, restituta vegetatione, extenso parenchymate, extensis quibus continetur integumentis, squamas quibus tectum erat decutit, expanditur ipsum & ramum constituit; rectissime itaque singulæ ramorum partes tanquam veræ continuationes earum quibus truncus gaudet considerantur.

§. XXVI.

Ex caule, non raro quoque ex radice prodeunt expansiones membranaceæ, creberrime efformatae ex partis cui innascuntur parenchymate; continuato tecta epidermide & percursæ corticis lignique vasis; hæc *folia* dicuntur, illustrant egregie hanc foliorum structuram eorumdem sceleta, quæ sive insectorum ope obtinentur, sive prudenti epidermidis & parenchymatis ope aquæ elutione, hæc ipsa sceleta sagaci Physici manu facile in duas laminas sedividi patiuntur, quarum illa, quæ superiorem folii superficiem occupaverat de ligno, altera autem inferior de cortice secessisse apparet evidenter: hæc sceleta, quæ unice a vasis folii constituuntur pulcherrimo nos spectaculo docent, quomodo vasa per folium distributa evidenter in minores ramos sedecunt, inter se & cum ipsis truncis multas anastomoses, multos plexus, multa retia facientes. Hæc quidem in universum obtinent, sed pro vario plantæ genere evidenter variare observantur, id quod adeo diversæ foliorum formæ, quæ tamen unice a figura horum retium pendent, quippe unde & superficies & margo foliorum clarissime efficitur, evincunt, nec non icones eorum, qui nobis plures talium scelerum tabulis exculpserunt. Non raro vasa cum cellulosa in folium distribuenda, prius in fasciculum inter caulem foliumque interceptum colliguntur qui *Petiolus* dicitur, in quo unum, tria, quinque imo septem distincta vasa numerari posse LUDWIG observavit, si autem numerus vasorum septenarium excedit, folium *Seffile*

D 2

evadere aiunt. Folii æque ac caulis ramorumque ortui prospexit Natura, ea quæ uni modo æstati dicata sunt, continuo adolescunt, in plantis perennantibus rudimentum folii quod vegetatio produxit, formam gemmæ retinet, quæ sive ad radicem hæret, sive origini folii evoluti affidet, ipsum non evolvendum, cum vegetationis vires in nutriendo caule & folio consumuntur, proditurum autem, quando folium annotinum quocunque casu perierit, aut quando nova vegetatio vernali tempore excitata, illud sive solum, sive cum ramo cuius propago est, urget. Cum itaque folium eandem habeat structuram ac caulis & radix, hinc non miramur, commissa terræ folia & radicem & caulem emittere, immo in integrum plantam excrescere: Plurima experimenta a Celeberrimo BONNET collecta & illustrata probant, folia transpirationi & inspirationi maxime inservire & ideo præcipue plantis data esse, ut hæ functiones debita in ratione fieri queant, easdem enim in ratione superficie plantarum esse nemo dubitat, sed folia superficiem earundem augere non opus est monere; quo hos usus rite præstare possint, illa semper ita collocata offendimus, ut se mutuo non impediant rorem haurire, aut vaporem in aërem dimittere: imo EJUSDEM auctoris eximii observationibus constat, folia qualicunque ratione inflexa se sponte ita restituere, ut superficies inferior terram respiciat, constat quippe faciem superiorem transpirationi maxima, inferiorem inspirationi dicatam esse, hinc eorum non pauca solis directionem sequi videmus, omnia se versus lucem ver-

gere, pinnata dum sole illustrantur ad se mutuo accedere, ea lege, ut eorum facies inferiores ad se contingant, dum autem ros obtinet contraria plane ratione superiores. Quo evici modo folia esse organa quibus efficitur ut rite peragentur duæ ad vegetationem maxime facientes functiones, ita cum eorum ope quoque multum augetur vasorum plurium ordinum numerus, hinc eadem etiam multum conferre ad rite præparanda alimenta elucefecit; omnia itaque loquuntur, eadē ad præcipua vegetationis organa referenda esse, hinc eorundem larga quantitate insectis, grandine &c. destrutis, vegetationem languere, fructus sive plane non, sive saltem non bene maturari videmus, imo arbores nimis luxuriantes, folia prudenter inde auferendo corrigerē solent ingeniosiores hortulani & dum radix aliquam majoris momenti jacturam patitur, ramos cum foliis justa ratione auferendo efficere, ut æqua humoris quantitas in radice obtineat, quæ eidem sustentandæ par sit.

§. XXVII.

Caulem & folia vario pilorum genere obſideri non raro videmus, quod mox mollius, mox rigidius variam hirsutiem vel varium tomentum plantæ superficie inducit, hos pilos ex propriis glandulis (§. XIII.) surgere, recentiorum observata evincunt, (§. XVI.) eos itaque tanquam veros excretorios ductus confidramus, quorum ope heterogenea, quæ per simplicio-

D 3

rem fabricam non potuissent auferri eliminantur, hinc non paucas plantas superficiem evidenter viscidam habere, quædam etiam humore quodam in guttas collecto ob sideri videmus; productiones quæ tanta rigiditate gaudent ut animalia inde ländantur *spinæ*, vel *aculeos* solent appellare, ad illas eas referunt, quæ ex ligno originem habent, horum nomen dant eis, quæ infra corticem non descendunt, illas unguibus animalium analogas esse suspicari solent, has multum cum cornubus convenire evicit Ill. DUHAMEL, in eo quoque spinæ & aculei cum unguibus & cornubus convenienter quod sicut horum ad oeconomiam animalem usum non distincte perspicimus, ita quoque illorum in plantis functiones adhuc dum lateant. Id faltem adhuc monebimus, culturam in multo arborum genere efficere, ut spinæ evanescant & ita novum argumentum de istarum cum unguibus convenientia oriri, dum cultura imminutus vegetationis vigor imminuat quoque ortum productionum. Capreoli sive cirrhi interdum ex caule interdum ex foliis surgunt, & quorum ope plantæ sustentaculis adhæret, structuram caulis sive folii unde crebre habent, non raro in veras radices transeunt, crebro non ultra annum durant, sed exsiccantur & exficatorum in locum sequente anno novi succedunt.

§. XXVIII.

Illa plantæ pars, quæ organa genitalia fovet, *Floris* nomine venit, involucrum quod ea immediate

cingit, dicitur *Corolla*, id quod hūic extus accedit, *Calicem* appellamus; *Nectarium* ill. LINNÆO est omnis pars, quæ inter genitalia & corollam intercipitur; si vasa flori prospectura antequam ipli immerguntur in fasciculum coēunt, is dicitur *Pedunculus*, eadem ratione ac petiolus (§.XXVI.) exstructus; caulis sive pedunculi portio cui flos innascitur, evidenter in modum vasorum qui ramos seu folia producunt intumescens *Receptaculum* dicitur vel *Thalamus*; sicuti partes communes plantæ per ejus incrementum in gemmam ordinatæ, rudimenta condunt novi rami & folii, suo tempore evolvenda, ita etiam obtinent gemmæ in quibus floris embryo latet; evincunt ill. DUHAMEL observationes in gemma florifera primum stamina cum rudimentis antherarum obtinere & vestigium collæ, sed tunc demum quando verno tempore vegetatio de novo intenditur stylos & post hos ultimo tandem germen apparere.

§. XXIX.

Calyx evidenter à cortice efformatur, ex ligno petala surgunt, stamna eandem cum petalis strūctram habent, hinc non raro in petala excrescere & flores plenos efformare solent, ea quæ acutissimus DUHAMEL circa flores Pyri & Persicæ observavit valde probabilem reddunt conjecturam receptaculum ibi, ubi stamna edit, glandulas vehere ad elaborandum antherarum pollen necessarias; antheras efformat pa-

renchyma quod medulla ejus caulis portionis videtur esse unde flos efformatur, cuius nimirum cortex in calycem, ligium in petala & stamina abierunt: epidermis omnes has partes obducit, eadem creberrime mediaстini in modum antheras in duos facos distinguit; recipiunt antheræ succum per fabricam totius plantæ elaboratum, in vasis calicis, corollæ, staminum ulterius perfectum, hic succus in antheris moram agens partibus fluidioribus privatur, in pollen efformatur, quod cellulas parenchymatis vi evidenti disrumpit, se in partes vicinas diffundit latius quoque non raro vi ventorum, insectorum &c. dispergitur. Antheræ adultæ, quas nulli ulterius succi alluere possunt, cum vasa partes crassiores pollen efformaturas vehendo obstructa fuerint exsiccantur & decidunt æque ac corolla & stamina ab iisdem vasis hactenus sustentata, eandem etiam ab causam bractæ, involucra, imo ipsa nectaria, verissimæ glandulæ elaborando succo unde pollen antherarum surgit dicata, exsiccata decidunt.

§. XXX.

Sed corolla non modo ad elaborandum & ad vehendum qui partibus genitalibus prospicit succum facit, inservit illa præterea ut eadem a quibus perennitas longe plurimarum plantarum pendet, contra injurias externas defendatur, hinc variarum corollarum aditus propriis appendiculis videmus claudi, alias certis

tis se modo horis aperire , alias omnino clausas esse.
 Varia corollarum & calicis figura æque ac in foliis
 observamus (§. XXVI.) evidenter à distributione vaso-
 rum pendet , quæ pro variis plantis , varia omnino re-
 quirebatur ; coloratas longe plurimas corollas repe-
 rimus , cum illæ elaborent nutrimentum quod proxi-
 me antheræ recipiunt , quas semper coloratas esse ne-
 mo ignorat , variis quoque pro variis plantis nitere
 coloribus.

§. XXXI.

Pistillum germini inhærens ex thalami medulla
 surgit , quæ in figuram cylindroideam educitur , variis
 vasis instructum est , non raro glandulas quoque evi-
 denter admittit , epidermide obductum , superne ter-
 minatur in apicem tenuissimum qui *stigma* dicitur ,
 varia pro diversa planta , figura , crassitie divisione gau-
 dentem , nulla epidermide tectum , creberrime humo-
 re unguinoso oblitum , pro quo sive continendo , sive
 secernendo non raro villositatem adesse videmus : hoc
stigma omni germini in fructum abituro proprium est ,
 non raro sine stylo intermedio germini intidet , crebro
 in tot partes dividi observatur , quot loculos fructus
 habet , sed citri , pyri &c. exemplis elucescit , dari multi
 loculares fructus quorum pistillum unico modo stigma-
 te coronatur , tunc autem in ipso fructa pistillum in
 tot partes secedit , quot sunt loculi , immo quot sunt
 semina , ita ut evidenter pateat , *stigma* his ipsis infer-

E

vire, quodlibet semen gaudere tenerimo filo, hæc filia collecta & epidermide tecta pistillum efformare, eorum summum apicem ultra epidermidem eminentem stigmati originem dare; nonne hic aliqua cum nervis animalium analogia obtinere videtur, quorum medulla ubi functione sua fungitur, ibi nullo integumento gaudet, eodem sub itinere ad loca destinata defensa. Ex vasis receptaculi illa furgunt, quæ seminibus propiciunt & pro varia horum indole five in pulposos faccos ordinantur, five in siccas capsulas, five simplicissima ratione eadem perficiunt ut in plantis, quas gymnospermas appellant.

§. XXXII.

Planta itaque ope radicis (§. XXIV.) in terra firma-
ta, caule & foliis aëre cincta, omni suo habitu externo
ex terra æque ac ex aëre nutrimentum haurit (§. VII.)
ejus ope extenduntur vasa (§. VIII.) parenchyma (§. VII.)
ipsum depuratur (§. XIV.) & singulis partibus adapta-
tur (§. X.) inde planta suum incrementum capit,
inde producuntur partes, quæ successiva demum evo-
lutione in conspectum prodeunt. Partibus generatio-
nis evolutis, fœcundato germine, maturatis semini-
bus, vasa ita enervantur, ut hauriendo elaborandoque
succo ulterius pares non sint; si eorum vitæ periodus
per unam modo æstatem durat, dicuntur *Annua*, *Bi-*
ennia autem, si ad alterum usque annum æstatem per-
ducunt, reliqua quibus longior vita concessa est, quæ-

que maturato fructu adhuc perstant *Perennia* dicuntur. Cum vegetatio non possit non vasa indurare, quolibet anno novas portiones induratorum accipiunt, portio corticis in librum (§. XX.) hujus pars in alburnum abit & hoc nova strata ligni facit (§. XXI.) sed cum eadem vegetatio vasa extendat & ipsis adhaerentes partes, hinc longitudo caudicis & radicis augentur (§. XXI. & XXV.) ex caulis latere prodeunt productiones quæ gemmarum sub forma (§. XXIV. & XXVIII.) convolutæ manent sequentibus demum annis in ramos, folia, flores explicandæ. Motum humorum unde vegetatio pendet, hyeme quidem multum languere, nequamquam autem cessare Ill. DUHAMEL evicit, hic motus æstate validissimus licet sit (§. XII.) tamen videamus hac anni tempestate vix novas productiones plantas facere easdem vere ac autumno demum obtinere, num tota hyems requiritur ad novas productiones eosque perficiendas ut in conspectum venire queant, num vegetatio sub nostros oculos ponit partes quas ætas elaboravit? Saltem a transpiratione æstate maxima, hinc plurimum humorum a planta auferente, & sic eam imparem ad novas productiones explicandas reddente, hoc phœnomenon non auderem deducere, cum mense Augusto quo maximam transpirationem plantæ experiuntur (§. XVI.) novos ramos, nova folia excludi, libri portionem induratam corticem reliquisse inter omnes constet,

THE-

THESES.

I.

Probabilis sententia videtur quæ oleum in cellulosa tunica contentum sedem & subiectum luis veneræ pronunciat.

II.

Non valet salivatio mercurialis ad sanandam gonorrhœam. Prosunt potius evacuantia imprimis fortiora.

III.

Quæ priscis temporibus de Guaiaci, Chinæ salsæ parillæ saffafraſ, lychnidis saponariæ, aliorumque efficacia ad luem venereum sanandam deprædicata fuere, experientiæ parum congruunt.

VI.

Vi quadam singulari, specifica, mercurium luem venream curare arbitramur.

V.

Intestinalium vermium origo ab ovis in nostrum corpus quacunque ratione introductis, producta esse videtur.

VI.

Vera specifica antidysenterica existere nequeunt.

VII.

Hydrops certe a contrariis plane causis generari potest.

VIII.

Si quod in peste remedium utile, certe Venæ sectio est.

IX.

Cum GALENO credimus, nullam ejusmodi de peste extare definitionem, quæ datum morbum, pestilentem esse, determinat.

X.

Bubones, Anthraces, Petechiae, non semper ipsam pestem denotant.

XI.

Pestis morbus inflammatorius esse videtur.

XII.

Ut sistatur pestis & minus populatrix reddatur, conferunt nosocomia libera, coacta obsonunt.

XIII.

Inutilis est anglis usitata in submersis bronchotomyia.

XIV.

Nec in demersorum ventriculum, nec in eorum thoracem aqua intrat.

XV.

Ratio cur aqua non descendit in ventriculum demersorum inde pendere videtur, quod nequeant deglutitionis actum exercere.

XVI.

Nec de opio, adeo nec de purgantibus & vomitoriiis in peste tanta expectarem quanta de Cortice Peruviano.

XVII.

Distinctio pestis in febrem pestilentialem & ipsam pestem nulla.

XVIII.


Pestis in Aegypto præcipue orta videtur sed & sine contagio surgere valet. Num a bestiis ea affectis communi- cari possit hominibus dubitant.

XIX.

Nicotiana optimum contra epidemicos morbos prophylacticum.

XX.

Insecta minima in aëre herentia certe nonnunquam epidemicorum morborum causa sunt.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn882378740/phys_0044](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn882378740/phys_0044)

DFG




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011

the scale towards document

37

VI.

pecifica antidysenterica existere nequeunt.

VII.

os certe a contrariis plane causis generari potest.

VIII.

d in peste remedium utile, certe Venæ sectio est.

IX.

*GALENO credimus, nullam ejusmodi de peste extat-
iem, quæ datum morbum, pestilentem esse, deter-*

X.

*es, Anthraces, Petechiae, non semper ipsam pe-
tit.*

XI.

morbus inflammatorius esse videtur.

XII.

*latur pefcis & minus populatrix reddatur, con-
comia libera, coacta obsunt.*

XIII.

is est anglis usitata in submersis bronchotomia.